

illo exivit, ut pene totum illud extinguerit incendium divina gratia mediante.

Item reliquie *beati Ypypodii* qui persecutione Antonini Veri post gloriosos XLVIII martyris capitis abscissione martyrium complevit. Iste portans caput suum in manibus intrando ecclesiam dixit: Exultabunt sancti in gloriâ. Et responderunt sancti de sepulcris. Letabuntur in cubilibus suis.

Item reliquie beati *Alexandri* qui crudelitate verberantium ita laneatus est ut crate soluta costarum, patefactis visceribus secreta anime panderentur ultimo crucis affixus patibulo beatum spiritum examinatus emisit, passi sunt cum illo XXXIII.

Item hic habentur reliquie et corpus *beati Yrenei*. Narrat istoria ecclesiastica sanctum Yreneum beati Policarpi fuisse discipulum qui missus in Galliis a predicto sancto Policarpo una cum Zacaria diacono et duobus clericis intrantes mare ut venerunt Massiliam aurora jam rutilante Ireneus igne quem dominus Jhesus misit in terris accensus suis ait Eya: fratres surgamus et quamcicius ad Lugdunum urbem quem a sancto magistro dirigimur tendem pergamus. Ingrediens autem predictam civitatem nobilissimam Galliarum ubi quo maior populus Ydolorum cultui deditus degebat eo copiosior humani generis hostis rabies in christianos seviebat paucos invenit qui ob gentilium furorem latebris, ac tuguriis occultabant quibus paterno amore blandiendo: in quid dilectissimi fratre nosse debetis dominum dixisse discipulis suis nolite timere eos qui occidunt corpus set potius, etc. Quod dicam spiritus sanctus ipsum decoraverat ut quocumque morbi, peste quispiam infirmorum langueret invocato Jesu nomine sibi divina gratia subveniret. Cecis visum, claudis gressum, surdis auditum, egros pristinae sanitati reddebat, mortuis vitam prestabat, demonibus imperabat, etc. Post hec ad rogatum cleri et populi ivit Romam ad Eleucterum papam qui tradidit ei sedem pontificatus post mortem beati Photini, deinde redit ad propriam sedem ibi innumerabilem populum domino acquisivit anno XVII imperii Antonini Veri. Audiens hec Severus imperator jussit militibus civitatem circumdari conditionem proponendo ut si quis ullum christianorum dimitteret seu defenderet similem sententiam dampnationis exciperet. Cedebantur ergo passim universi nullusque sexus, nulla etas, nulla conditio omittebatur, tanta fuit effusio